

Ya  
2015





IV, 48.



IV, 48.





8.





12,





ORATIO  
DE DRESDA,  
VRBE MISNIÆ MVNI-  
TISSIMA, ET OB AVLAM  
ILLVSTRISS. ET POTENTISS.  
ELECTORVM ET DVCVM SAX.  
CELEBRATISSIMA,

CONSCRIPTA ET IN  
*lucem edita*

à

M. TOBIA SIMONE  
Dresd. Scholæ Rectore.



DRESDAE,  
Typis Gimelis Bergen, Elect. Saxon.  
Typographi.

ANNO MDCXXII.









*Viris amplissimis,*

PRVDENTIA, ERVDI-  
TIONE, VIRTVTE ET RERV M  
VSV PRÆSTANTISSIMIS, DN. COSS.  
& cæteris Senatoribus inclytæ Reipub. Dresdensis,  
Dn. Patronis suis æternum colendis

S. P.



*H*anc de urbe DRESDA orationem,  
quam nuperrimè, Viri Amplissimi  
& prudentissimi, Meccænates maxi-  
mi, vobis presentibus, in cætu schola-  
stico iuventutis causa recitavi, ut ipsi erga patri-  
am amorem instillarem, & de variis urbis orna-  
mentis cogitandi ansam præberem, quin nonnulli  
nasutuli sint suggillaturi, nullus omnino dubito.  
Nam ea, quod ipse haud inficior, nullo verborum  
splendore constat, nulla rerum gravitate pollet, ac  
quod rhombum maximè attingit, urbem laudibus,  
pro ut ipsius dignitas & fama postulat, nequaquam  
deprædicat. Sed ut eiusmodi vitilitigatores susq; deq;  
habeam, vestro adducor atque confirmor iudicio.

A 2

Vos



Vos eam auditione & lectione iudicastis dignam.  
Vos ut typis exscriberetur, & iuris fieret publici, be-  
nignè curastis. Proinde & iam illam typis expres-  
sam in vestrum quasi sinum depono, etiam atque  
etiam rogans, ut eam contra Suffenos omnesq;  
malevolorum arrosiones vestra autoritate, ceu sa-  
cræ Pallados agide, tueamini, & me ea, qua huc  
usque semper, posthac vestri favoris aura prose-  
quamini. Vobis ego vicissim debitam observan-  
tiam piâsq; ad DEUM preces pro felici & urbis &  
Reipub administratione defero & spondeo. Bene  
& feliciter valete. Dabam ex Museo meo, die  
28 Julii, ANNO CHRISTI 1622.


V. A. & P.

observantis.


M. TOBIAS SIMON  
scholæ Rector.



  
**IN DRESDÆ**  
**ENCOMIUM.**


 γκῆσιν πάντων τῷ Δρέσδῳ ἄστυ δεωρεῖν,  
 Σωσάσαι τεχνῶν ἐν ᾧ ἕασσι πλέεσ.  
 Παιδῶν ἐσὶν ἑκῆ δέρεκεσθαι Δαίδαλ' ἐς ἔργα,  
 Πανδ' ὄρη τε θεοῖ τ' αὐτ' ἀγάονται ἄγαν.  
 Ομμασιν ὅς τ' ὄτον λόγον ὄφεται, ὡς ἐν ἐσόπτρῳ,  
 Πτολίεθρον κείνῃ καλὸν ἀγαλμα ὄρεᾶ.  
 Εσσο εὐγνώμων αὐτὸν γνῶνς τ' εὐχεο θυμῷ,  
 Εὐδαίμων ΣΙΜΩΝ ὄφρα διαμπερὲς ἦ.  
 Ὡς ἱερῶν μέλπη μισσάων ἄξι, ἐν ἀνδρεσσιν  
 Οὔνομα ἀθάνατον ἡσὶ κλέος ἐσθλὸν ἔχων.

Aliud.


**DRESDAM**, *Justitiæ templum, Pietatis ocellum,*  
*Palmasq; Togæ, Gymnasium atq; Sagi,*  
*Depingis SIMON, ὅσ' quæ miracula in illâ*  
*Dædala sunt, quæ nil mirius Orbis habet.*  
*O factum bene! quàm sapiens es in hocce labore!*  
*Hinc DRESDAM cogis per mare nare procul;*  
*Quò Parthus, Mars haut potis est pertingere pilo,*  
*Artis eò quæ quis se penetrare stylo.*

*M. Johannes Eulensaw/*  
*schol. Dresd. ConRector.*




*ALIUD.*

**E***T* multis visa est, multis datur atq; videnda  
*DRESDA*; sed exigui quid sit, & unde, sciunt.  
Scire cupis? memori has modò volve revolve pagel-  
Mente, & continuo quid sit, & unde, scies. (las  
Has *LECTOR* recipe; *AUTORI* bene perge favere:  
Sic quinunc *DRESDAM*, post tibi plura dabit.

*exed'ioe faciebam*  
*Dresda*

M. Eusebius Simon Dresd.  
SS. Theol. studiosus.



  
**O R A T I O D E**  
**V R B E D R E S D A .**



*N*escio, qua natale solum dulcedine cunctos  
Ducit, & immemores non sinit esse sui,  
canit de amore patriæ poëta Ovidius, & quidem non minus verè,  
quàm eleganter. Nam haud quisquam in universo terrarum  
orbe reperitur, qui non suam amore prosequatur patriam, in eaq;  
omnia sua ponat, & quasi consecret. Ulysses certè virum illum  
in exercitu Græcorum ad Trojam sapientissimum, adeò patriæ  
amantem extitisse legimus, ut, si modò fumum sibi de ea surgens  
tem conspicari liceret, haud mortem obire abnueret. M. Cur-  
tium, adolescentem Romanum nobilem, vitam à patria acceptam  
eidem impendere non dubitasse, produnt historie. Nec ignotum  
est exemplum Codri regis Atheniensis, Gordiani imperato-  
ris Romani & multorum aliorum, qui pro aris & focis, pro sa-  
lute & incolumitate patriæ, durissimis sese exposuerunt pericu-  
lis, ac dulce & decorum pro patria mori existimârunt. Proinde  
verè mihi scripsisse videtur Poëtarum Coryphæus Homerus,  
οὐδ' ἐν τῆς πατρίδος γλυκίον, nil patriæ dulcius, vel uti in trito fer-  
tur Adagio, patriæ cuique sua est jucundissima. Cum quo consen-  
tit Tullius illud eloquentiæ Romanæ flumen & lumen, ita alicubi  
affirmans: Patriæ solum cum omnibus gratum, tum verò duls-  
ce & jucundum est. Si autem rem iusta ponderamus lance, nihil  
magis æquum esse, nihilq; magis convenire, fateamur necesse est,  
quàm



quàm ut patriam diligamus. Nonne patria primos aëris haustus nobis suggerit, in hanc lucem quando nascimur & suscipimur? Nonne patria nobis alimenta, ceu pia mater, larga & benigna manu suppeditat? Nonne patria hospitia & omnis generis beneficia per totum vitæ cursum abunde præstat? Quapropter qui magis grati & pii in patriam esse possumus, quàm si illam amamus, & eius bona & dona veneramur? His causis & ego adductus, hoc tempore & in præsentis examinis vestibulo, de urbe **DRESDA**, patria mea dulcissima, non oratorio more, sed nudè & absq; aliquo verborum & sententiarum ornatu & splendore, aliquid in medium proferam. Quòd dicendi argumentum non ideò elegi, ut hanc urbem pro ipsius dignitate laudarem, quam ingenii facultatem in me non esse ingenuè profiteor: verum ut iuventuti ansam præberem cogitandi de ornamentis & commodis, quibus hæc nostra urbs præ cæteris à Deo ipso condecorata est, & ut pariter in eadem amorem & pietatem erga patriam incenderem, alerem, confirmarem. Et hac de causa omnino spem foveo firmissimam, Viri reverenda dignitate, eximia amplitudine, insigni pietate, excellenti prudentia, eruditione, autoritate & virtute præstantissimi, Domini & Patroni omnibus observantiæ officiis colendi, fore id dicendi argumentum vobis non ingratum nec iniucundum, licèt ea, quæ dico, non pro dignitate dicam, nec dicam omnia, sed summa sequar tantùm fastigia rerum, iuxta locos, quos nobis Rhetorum præcepta præscribunt.

Ordiam autem à situ.

DE SITV  
DRESDAE.

Sita est **DRESDA** in Misnia celeberrima Germaniæ regione, quæ regio unde nomen acceperit, eruditi non consentiunt.



tiunt. Nonnulli putant, istam provinciam sic appellatam ab urbe Misena, quam Henricus Caesar ceu propugnaculum contra Hungarorum & Sarmatarum excursiones in Albis ripa extruxit, ac à rivulo Mysia in Albim ibidem decurrente ita nuncupavit. Nonnulli verò sentiunt, hanc regionem Misniam ab antiquissimis Asiæ populis Mysis nomen accepisse. Nam Mysi ex Asia cum vicinis quibusdam populis, Getis, Dacis, Tyrigetis, Alanisq; in Europam progressi, circa annum Christi ducentesimum, imperante M. Aurelio Antonino, ad Danubium primum venerunt, & ibi fortunarum suarum sedem collocarunt. Postea verò inde amore libertatis, & odio iugi Romani, in hæc commigrarunt loca, tractumq; intra Salam & Albim usque ad Suedetes montes occuparunt, expulsis Hermunduris, qui Svevi fuerunt, & primi in hac regione habitarunt. Ac licet deinde iidem Mysi ab aliis populis, Henetis & Sclavis, graviter sint afflicti, & terra expulsi: tamen iis omnibus fractis & debilitatis, imperium & locum retinuerunt, atque toti regioni à suo nomine imposuerunt nomen, etsi & ipsi tandem in Romanorum potestatem ac ditionem redacti sunt. In hac autem regione Dresda ita situm obtinet, ut versus ortum ferè habeat Lusatiam superiorem, versus meridiem Bohemiam & Suedetes montes, versus occasum Thuringiam, & versus septentrionem denique Marchiam & Saxoniam. Cum autem & cælum intueri, & eius ad nostram urbem habitaculum considerare plurimum presit, Dresda, sicut & tota Misnia, sub signo Foviali, nempe Sagittario iacet, unde bona aëris constitutio, mira ingeniorum felicitas & sagacitas, & bona cæli in corpora humana influentia promanat. Et iuxta

B

Appiani



Appiani observationes in latitudine habet 51 gradus, sed in longitudine 34. 45, Ex quibus numeris, qua in parte mundi haec urbs sita sit, & quanto intervallo ab aliis, seu procul, seu propè dissitis locis distet, facile cognosci & computari potest.

De aeris salubritate.

Est autem Dresda civitas non angusta nimis, sed satis ampla, & aere saluberrimo fruitur. Non enim montibus interclusa est, ut in phites pestiferae & exhalationes putres viroscrae eam corrumpere possint: sed propter planitiem, in qua omni ex parte constituitur, aerem obtinet liberum & purum, quem non parum adiuvat illud, quòd sordes, si quae in ea colliguntur, ab incolis in rivulum per singulas ferè civitatis plateas interfluentem abjiciuntur, atque ita expurgantur, ut ab his aer infici non possit. Et hanc ob causam valde commoda est ad habitandum civitas. Etenim quem fugit, quantum momenti habeat ad valetudinem conservandam & tuendam, quantumq; emolumenti conferat ad ingenia morésq; formandos & alendos, aeris puritas & salubritas: Et contra quàm frequentes ac periculosos partat morbos, quàm miserè ingenii obtundat aciem, quàm vehementer morum impediatur culturam aeris impuritas & infectio: Propterea ingens Dei Optimi Maximi censeatur beneficium, quòd caelum, quo hac in urbe fruimur, non crassum, non impurum, non turbidum, nec nebulosum, sed satis commodum & salubre habemus.

De soli fertilitate.

Et sanè hac ipsa aeris salubritas procul dubio in causa est, ut nostra civitas solum habeat praecipua quadam bonitate & fertilitate donatum, ut omnium rerum proventum edat copiosissimum. Sive enim hortos respiciamus, ii circumquaque existunt



stunt frequentissimi, ferentes olera, legumina, pyra, poma, ce-  
rasa, & si quæ sunt alia eius generis. Sive prata respiciamus, non  
ea desunt sva viffimis herbis floribusq; virefcentia. Sive agros  
& campos respiciamus, occurrunt illi patentiffimi, ex divina  
providentia & terræ bonitate triticum, olyram, hordeum, ave-  
nam aliâsq; fruges ad vitæ sustentationem necessarias produ-  
centes. Sive vineas respiciamus, earum non exigua reperitur  
copia, quæ vina salubria & bibentium corporibus utilia gratiq;  
palatum sapore afficientia proferunt. Sive denique recessus &  
umbracula sylvestria respiciamus, habentur ea exoptatiffima,  
quæ urbi amœnitatem conciliant longè iucundiffimam, ut iurè  
illud poetæ usurpare possimus: Nullus in orbe locus Dresda  
extat amœnior ipsa. Nos igitur hæc patriæ commoda non so-  
lùm animo ponderare, sed & simul mentes exuscitare decet, ut  
hæc ingentia Dei beneficia, quibus hanc urbem præ cæteris or-  
navit, agnoscamus, usq; cum pietate & gratiarum actione uti  
studeamus.

Nomen autem Dresdæ nonnulli opinantur esse Germa-  
nicum Drenseem, sic dictum à tribus stagnis, quæ sic demon-  
strare conantur, ut unum ex iis velint fuisse illud, quod etiam-  
num vocari solet Judæorum piscina: alterum verò id, quod ex  
una parte urbem, ex altera Divi Jacobi Nosocomion spectat:  
tertium denique eo in loco, ubi iam pratum Schne Weissensium  
habetur. Verùm illa de nomine urbis opinio nullo modo constas-  
re potest: imò manifestè inde refellitur, quòd veterior urbs cis  
Albim sita eandem obtinet appellationem, sed non à tribus sta-  
gnis, quorum nulla ibi apparent vestigia, cum in loco arenoso  
iaceat,

De nominis  
origine.



iateat, & versus meridiem Albim profluentem habeat, versus  
verò septentrionem latissima sylva sit communita. Quapropter  
mihi à veritate non aberrare videntur, qui Dresdæ nomen vos  
lunt esse Sclavonicum. Nam satis notum & perspectum est ex  
multorum historicorum relatione, Sclavos, quos & VVindos  
nuncupamus, totum istum tractum, qui circa Albim est in Misnia  
& Saxonia, expulsis Hermunduris seu Sveris, non modò oc-  
cupasse, sed & in eo varia extruxisse oppida, & sua indigitasse  
lingua. Talia sunt, ut Albinus in Chronico Misnensi, & Altham-  
merus in Commentario suo super historiam Cornelii Taciti de  
moribus & populis Germaniæ commemorant, Pirna, Strela,  
Belgrana, Torga, Ofsitium, Lipsia, & multa alia, quæ idiomata  
& vestigia linguæ Sclavonicæ referre volunt, quibus & ipsam  
Dresdam annumerant. Sclavis autem, uti quidam dicunt, Dres-  
de est conclave, in quo aliquid reponi solet, vel locus ille ædis, in  
quo ornamenta, quæ ad sacra peragenda adhibentur, probe asser-  
vantur. Quòd si in lingua Sclavonica vocabuli Dresdæ est ista  
significatio, non abs re & omine illud nomen urbi à primis fun-  
datoribus inditum esse videtur. Nam verè est conclave &  
quasi camera multorum bonorum, quibus referta est & abun-  
dat, & quæ habere potest propter loci commoditatem. Bohemia  
frumenta & bellaria omnis generis suppeditat. Albis quàm  
proximè præterfluens pisces: sylvæ adiacentes cervos, lepores,  
apros & ligna subministrant. Ad orientem & occidentem vinea  
producunt vina suavissima: versus meridiem & circa totam  
ferè urbem agri, horti, prata suggerunt fructus. Præter hæc  
iam in urbe tormenta, armamenta omnisq; belli apparatus adeò  
instructus



instructus reperitur, ut parem nemo totius Europæ principum possideat. Quocirca nomen Dresdæ verè ominosum fuit de futuris ornamentis, quæ ipsi obtigerunt, & imprimis ab eo tempore, quo Electoratus Saxonici facta est sedes. Tunc enim Dresda reipsa evasit conclave & camera ac quasi Sacrarium veræ Religionis, iusticiæ & pacis, siquidem semper tales procreavit duces & Electores, qui religionis puritatem in Ecclesiis, iusticiam in foro, & pacem per totam provinciam summo studio propagarunt, administrarunt, conservarunt. Sed de urbis nomine satis: transeo ad eius vetustatem, cuius laus tanta esse solet, ut quò unumquodque est antiquus, eò præstantius habeatur.

De origine quidem nostræ urbis nihil certi affirmare possum: sed tamen eam esse unam ex vetustissimis, non est, quod dubitemus. In Chronologia sua Sethus Calvisius ex Aventino historico refert, Dresdam ad Albim contra Bohemos à Carolo Magno munitam esse circa annum Christi octingentesimum & octavum, hoc est, si ad præsentem id computamus annum, ante octingentos & quatuordecim annos. Quod sanè gravissimum fidèq; dignissimum nobis testimonium præbet de urbis nostræ antiquitate, qua & ipsa longè superat urbem Misenam, quæ Anno Christi 928, sub imperatore Henrico, qui Auceps nuncupatus est, fuit condita, ut suprà monui, ut esset propugnaculum contra irruentes hostes, quos bello oppresserat nec non devicerat.

Primi autem huius urbis conditores non extiterunt Her- munduri seu Svevi, qui, veluti ex Cornelio Tacito & Julio Casare constat, in campis vel agris habitarunt, nec ullas habuerunt urbes, sed suos vicos aut villas, unusquisq; suum tugurium,

De antiquitate.

De conditoribus.



Et hoc spacio certo circumdedit ad formam insularum vel domo-  
rum, quæ nullis ædificiis cogerent, & aut ex ædificandi impe-  
ritia, aut aduersus casus ignis remedium, ne vicina flamma ab-  
sumerentur. Et nihilominus suos habuerunt tractus, quos vi-  
cos aut pagos appellitarunt. Expulsis autem Hermunduris,  
Sclavi postea urbes construxerunt, & mœnibus cinxerunt, post  
natum Christum anno sexcentesimo, eâsq; sua lingua indigita-  
runt, uti supra ex Albini Chronico & Althamero retulimus.  
Proinde verisimile est, hanc nostram urbem à Sclavis condi-  
tam esse, cum multæ ex vicinis ab iisdem suam habere originem  
credantur.

De ducibus  
& governa-  
toribus.

Quemadmodum autem, Sclavis & Henetis devictis, in  
Romanorum Imperatorum potestatem rediit: ita & deinceps  
temporis successu, postquam Henricus Auceps Marchionem  
in Misnia, hoc est, ducem limitaneum fines imperii contra vici-  
nos hostes defendentem instituit, Marchionibus Misnensibus  
subiecta, ab iisq; administrata, adauctâ & conservata fuit.  
Quosdam enim hic sedem suam habuisse, ex nonnullis conicere  
licet testimoniis, quæ ex Annalibus Misnensibus à Fabricio  
collectis peti possunt. Nam in iis decretum recenset Diterici  
Marchionis Misnensis de arce Churina non iustauranda, quod  
Dresdæ factum est tertio Calendarum Aprilis, Anno incarna-  
tionis Christi 1020. Idem ex supplemento Schaffnaburgii  
commemorat, Henricum Marchionem Misniæ, qui propter  
excellentem sapientiam illustris, propter animi fortitudinem  
malleus, & propter liberalitatem munificus appellatus est,  
Dresdæ 25. Februarii, Anno à nato Christo 1288 diem obiisse,  
& Celle



Cellæ sepultum esse. Idem Fabricius in Annalibus Mis-  
nensibus narrat, Fridericum Marchionem, qui dictus est Seve-  
rus, Henrici illustris filium, Dresdæ 25. Aprilis rebus huma-  
nis exemptum, & Cellæ itidem sepultura affectum esse Anno  
Christi 1316. De his igitur Marchionibus non est dubium,  
quin hic Dresdæ aulam suam habuerint. De sequentibus res  
ipsa loquitur, nimirum de Alberto Friderici Quinti filio, qui  
Aldenburgi quidem natus & educatus est, sed postea Dresdæ  
aulam & imperium constituit, quem filii, Dux Georgius &  
Henricus, & huius vicissim filii, Mauricius ac Augustus, &  
huius filius Christianus Primus, & tandem huius filii, Christianus  
II. & Iohannes Georgius consecuti sunt. Hi enim sibi  
hanc urbem ceu sedem aulæ gratissimam elegerunt, incoluerunt,  
& quibuscunque modis potuerunt, magnificè exornarunt, uti  
paulò post dicetur.

Progredior ad formam urbis, quæ si rectè pensitatur,  
ferè quadrangularis esse videtur, & primitus admodum an-  
gustus descripta fuit terminis. Sed tamen progressu tempo-  
ris, sub Mauritio Electore, ex duabus urbibus una quasi con-  
flata est urbs. Nam olim ea urbis pars, quæ ab arce Georgii  
versus occasum & meridiem tendit ferè usque ad Portam crus-  
cis, mœnibus & fossa distincta fuit ab ea parte, quæ versus or-  
tum & septentrionem contendit. Verùm Mauritius murum  
demolitus, fossa expleta, urbem exiguo ambitu definitam latis-  
simis suburbiorum pomariis ampliavit, ut nunc iustam civitas  
tis magnitudinem præ se ferat. Nec tamen Mauritius solùm  
urbem ampliore fecit: verum etiam nihil prætermisit, quod  
ad eam

De forma ur-  
bis & ejusdem  
munitioribus.



ad eam cohonestandam pertinere videbatur. Nam à porta  
VVilstorfiana versus meridiem ortumq; muros eduxit validis-  
simos, eosq; Vallis, propugnaculis & fossis communiuit. Hu-  
ius vestigia secutus frater germanus Augustus alteram urbis  
partem ad occasum & versus Septentrionem, & totum istum  
tractum arci adiacentem fossa amplissima, muris validissimis,  
Vallisq; & propugnaculis firmissimis circumdedit. Nec parum  
ornatus huic conciliauit urbi Christianus I. qui Vallam & pro-  
pugnaculum supra portam Salomonis eduxit, novam portam  
Pirnensem construxit, & Vallum istud amplissimum cum ædi-  
ficio splendidissimo Armamentario adiecit. Calculum suum in  
adornanda hac urbe addidit Christianus II. qui eam fossæ par-  
tem, quæ Hospitale S. Iacobi respicit, ampliavit, & citra fossam  
aliud construxit Vallum. Quid de Ioanne Georgio iam rerum  
potente dicemus? Nonne & is maiorum laudatissimorum ve-  
stigia insecutus, plurimum urbem exornavit, & superioribus  
annis Valla circumquaque altiùs eduxit, ampliavit, & non ni-  
hil collapsa instauravit? Undiquaque igitur nostra civitas ab  
enumeratis Ducibus & Electoribus Vallis & fossis munita est,  
nec sine gravi consilio. Nam voluerunt sapientissimi Princi-  
pes, ut hæc celeberrima urbs totius Misnie fortissimum esset  
propugnaculum, quo tanquam clave aditus in eandem omni hosti  
penitus intercluderetur & obstrueretur. Quam ob causam &  
ipsi præsidium firmissimum imposuit Anno 1588. Christian. I.  
& eodem adhuc munitur.

**De portis.**

Portæ in hac nostra urbe hodie tres conspiciuntur. Prima  
versus aquilonem vergit, ponti proxima, unde & porta pontis  
dici



dici solet, ab Electore Mauritio condita. Secunda orientem reo-  
 spicit, Porta Pirnensis nuncupata. Eam Mauritius antehac de-  
 molitus est, sed Christianus I. planè de novo edificari curavit.  
 Tertia occasum spectat *VVilstorfiana* vocata, & à Georgio  
 Duce Saxonie constructa, quam tamen Mauritius & Augu-  
 stus turri & fortioribus propugnaculis communiverunt. An-  
 tebac & alie extiterunt portæ. Una meridiem respiciebat, por-  
 ta stagni dicta, quam obstruxit Mauritius, cum ad eum locum  
 validissimum opponeret propugnaculum, etiamsi ea valde esset  
 comoda hortorum & agrorum causa, qui in ea suburbii parte  
 magna habentur copia. Altera erat prope *Armamentariam*,  
 porta aquæ nominata. Hanc extruxit Mauritius uti maximè  
 accommodam ad importanda ea, quæ in Albi ex Bohemia affe-  
 runtur: sed Christianus I. obstruxit denuo Anno Christo 1590,  
 cum eo in loco *Armamentarium* novo propugnaculo sepiret.  
 Tertia ortum spectabat, porta Crucis appellata, quam condidit  
 Mauritius, & exornavit figura eleganti de iudicio Salomonis,  
 unde & porta Salomonis dicta est. Eam Christianus I. obse-  
 ravit, cum illi imponeret novam propugnaculum Anno Christi  
 1589 & sequenti. His tribus portis abolitis, iam modò enu-  
 meratæ tres extant, & hodie in urbem præbent ingressam.  
 A porta *VVilstorfiana*, versus meridiem & ortum, ad Albim usq[ue]  
 liber est ambitus, talis quidem, ut si quis exteriores fossarum  
 terminos legat deambulando per dimidiæ ferè horæ spacium de-  
 metiatur. Sed in altera parte cum propter pomarium, tum pro-  
 pter Albim ambitus conclusus est.

Edificiis nostra urbs referta est quàm plurimis, quæ an-  
 C tebac

De edificiis  
 præcipuis



te hac maxima ex parte, uti ex nonnullis iam vetustate consum-  
tis manifestè apparet, humilia & tenuia, partim ex ligno, par-  
tim ex limo, partim ex cæmentis Plauensibus, calce non duras-  
is, sed luto interlitis constructa, & vel scandulis vel stramine  
fuerunt tecta. Jam verò propter ædificandi commoditatem,  
quam lapidicinæ Pirnenses subministrant, pleraq; sunt cæmen-  
titia, tegulis seu lateribus coctis contecta, adeòq; exornata, ut  
insolentiam Hispanicam redoleant, & Italicam magnificenti-  
am spirent.

De arce.

Ac ut de nonnullis διὰ Βραχέων & ὡς ἐν ἐπιτομῇ verba facis-  
am, ex iis meritò & optimo iure sibi principem vendicat locum  
arx Electoris, munificentia profectò regia & structura elegan-  
ti à Mauricio, Anno 1551, condita, & palatio Ducis Georgii  
Anno 1537 extructo, addita. Forma eius quadrangularis  
omnibus intuentibus obvia est, & in medio aream habet capa-  
cissimam, & in singulis angulis scalas cochlides, per quas ad su-  
periora patet ascensus. Constat conclavibus & palatiis permul-  
tis iisq; satis magnificis. Inter ea admirationem meretur templū,  
suggesto & ara mira arte fabrefacta, multis tabulis, scripturis  
& picturis, organis aliisq; rebus exornatum, quod quidem ab  
Electore Mauricio inceptum, sed ab Augusto fratre Anno 1555  
absolutum dicitur. Nec minùs prædicatione dignum est in arce  
illud τεχνοταμειον, in quo partim libri & instrumenta Mathema-  
tica, partim varia opera, ingenti artificio & admirando labore  
perfecta, multæ tabule pictæ, nec non ea, quæ αὐτόματα καὶ αὐ-  
τοκίνητα appellantur, diligenter magnâq; cura asservantur. Id  
veluti Augustus Elector instruere cæpit: ita eiusdem filius  
Christianus

De templo  
arcis.

De Techno-  
theca.



Christianus primus incredibili sumtu locupletavit, & adhuc  
successores conservare & adaugere student. Valde commen-  
datur conclave illud, in quo Bibliotheca habetur instructissima  
ab Augusto instituta, & postea à filio & nepotibus mirum in  
modum aucta. In hac ceu penu ditissimo libri extant quàm  
plurimi & ad usum lectissimi, Theologici, Juridici, Medici,  
Historici, Philosophici, Poetici, Philologici & id genus alii.  
Laude digna habetur & officina illa Pharmacopœia, quæ sanè  
veluti est politissima & ornatissima, ita & exquisitissima nec  
non instructissima. In ea non modò ex Galenica, verùm etiam  
ex Hermetica arte comparata reperiuntur remedia, atque in  
commodum & salutem omnium subditorum cum summe, tum  
infimæ conditionis, liberali & tolerabili precio erogantur. Hæc  
conclavia satis sunt decantata, & exteros huc adventantes in  
incredibilem rapiunt admirationem, quoties ea oculis perlustrant.  
De cæteris palatiis nihil dico, cum temporis non ferat ratio.

De Biblio-  
theca.

Arci contiguum est Grammatophylacium, quod ab Au-  
gusto Electore Anno 1567. ea structura & elegantia, qua cons-  
picitur, extructum, ac ad eum usum destinatum est, ut iusticiæ  
esset quasi sedes & sacrarium, & eiusdem administratio ex æquo  
omnibus, sine ulla προσωποληψία, contingeret, quo instituto ad di-  
rimendas controversias nihil utilius, & ad pacem publicam con-  
servandam nihil videtur accommodatius. Nam sedula iusticiæ  
administratio totius provincie sustentaculum & fulcrum est, &  
iuxta Gorgiam apud Platonem ἄρχὴ πόλεως, sine qua nulla ci-  
vitas, nulla regio florere & consistere potest. Quocirca in uni-  
verso Ducatu Saxonico ad hanc domum tanquam iusticiæ ar-

De Gramma-  
tophylacio.



De stabulo  
equorum.

cem confugiunt omnes, quibus sunt lites & controversiae in  
causis criminalibus, judicialibus, matrimonialibus & similibus.

A Grammatophylacio non procul distat stabulum, quod  
tamen aedificium Regia potius Principis nominari potest. Tam  
eximii est operis, tam magnificae structurae, tam stupendae pul-  
critudinis, ut omnibus perlustrantibus magnae sit admirationi.  
Illic non tantum pulcerrimae equorum cernitur statio, sed & am-  
plissima area ludis equestribus destinata. Illic conclavia ad  
Principum magnificentiam & dignitatem constructa videntur,  
& praeter haec palatium longitudinis satis magnae, in  
quo artificiosissimae habentur picturae totum stemma & stirpem  
domus Saxonicae inde à VVitekindo Magno, usque ad Christianum  
II Electorem, oculis praesentium hominum subiicientes.  
In superioribus conclavibus reposita sunt, & pulcerrimo or-  
dine disposita sunt, & maximo studio exornata, omnis generis  
tegumenta, vestimenta, ferramenta & instrumenta, quorum in  
ludis Circensibus seu Hippodromis usus est maximus. Hoc  
aedificium immensis sumptibus, ut alia plura, Christianus I. Princeps  
& Elector, Anno Christi 1587 & sequenti, in parentis  
optimi memoriam extruxit.

De ponte  
Albis.

A stabulo progredienti occurrit porta Albis, & hinc  
pons ipse Albi fluvio impositus, & novam urbem cum veteri  
coniungens. ille condicæpit, ut Misnense Chronicon Albini re-  
fert, Anno Christi 1070, & decennio absolutus est, quo tempore  
tanta annonae vilitas extitit, ut operarius quolibet die pro labo-  
re, quem in pontis structura insumsit, nummum acceperit. Eo  
ipso tempore Romano imperio praesuit Henricus IV. cuius for-  
tuna



tsna fuit varia, quemadmodum in historicis legimus: Marchio  
verò Misnie tum fuit Dedo, qui tamen paulò post proscriptus  
in exilio diem obiit, Anno Christi 1075. Nonnulli tamen lite-  
ris produnt, pontem Dresdensem sub Cunrado Marchione Mis-  
nie, conditum esse, Anno Christi 1119, sub imperatore Hen-  
rico V. Quod ita concedi potest, ut & Albinifert opinio, quòd  
illud ipsum opus pontis, ad annos aliquot interruptum, eo tempo-  
re prorsus sit absolutum. Nam veritati consentaneum est, tam  
grande & tam operosum opus multum & temporis & sumtuum  
requisivisse. Totus autem pons constructus est ex lapidibus  
quadratis seu pilaribus calce & ferro coniunctis, quibus sanè  
rebur ingens ponti conciliatur, quod non parum adiuvant pile  
robustæ & arcus fornicati molem omnem sua firmitate & solidi-  
tate sustentantes. Arcus antehac pons habuit 24, iam tan-  
tùm 17, reliquis in arcis & propugnaculi structura obstructis.  
Ob longitudinem maximè celebratur, id quod & tritum illud  
vulgari sermone proverbium attestatur, quo dicunt, pontem  
Dresdensem esse longissimum, Pragensem latissimum, & Ra-  
tisbonensem pulcerrimum.

Sed à ponte in urbem redibimus, ubi versus sinistram  
occurrunt ædes annonæ destinatæ, granaria, officina pro fun-  
denâs bombardis, quam primus apparavit Augustus Elector,  
& hinc Armamentarium illud celeberrimum, cui omnes exteri  
huc Dresdam venientes, atq; in rem præsentem deducti palmam  
tribuunt. Illud à Mauritio Electore ædificari cæptum, sed ab  
Augusto fratre feliciter absolutum est, & situm obtinet in loco  
urbis secreto, ita ut versus septentrionem & ortum pomerio,

De armamen-  
tario.



vallo & propugnaculo sit munitum, versus occasum habeat aream capacissimam, in qua ante paucos annos Elector Joannes Georgius apparari curavit Salinas, hoc est, officinas, in quibus sal coquitur. Hoc ædificium ad eum usum conditum est, ut in eo, tanquam in penu & promptuario, omnis generis arma haberentur ad urbis & totius Ducatus Saxonici defensionem contra hostiles incursiones. Et ea de causa multis constat contignationibus, in quibus ordine & circumquaque arma sunt disposita, & singula suo quoque loco reposita.

De domo Ducis Christiani,

Ab armamentario per plateam iaculatoriam versus meridiem euntibus occurrit domus Ducis Christiani, uti appellari solet. Hanc condidit huius urbis Capitaneus, Melchior Hauffius, suis sumptibus post obsidionem urbis Magdeburgensis, ex qua satis locupletatus redierat, id quod inscriptio Portæ, per quam in ipsam domum patet ingressus, indicat his verbis: **Nächst Gott die Belagerung vor Magdeburg, Anno Christi 1550, quo illa obsidio capit.** Eam domum Augustus Elector ab agnatis & hæredibus Hauffii, cum sine liberis esset, certo emit precio, & postea filio Christiano matrimonium contrahenti, Anno Christi 1582, tradidit, ut ibi aulæ sedem constitueret peculiarem, quam & illic usque ad parentis obitum, Anno 1586, habuit. Eam domum deinceps incoluit Dux Joannes Georgius, postquam coniugium iniit, usque ad annum Christi, quo Christianus II. beatissima morte obiit, ac Electoratus Saxonici possessionem & gubernationem fratri reliquit. Iam eandem domum Illustrissima Principissa, Dn. Sophia Vidua, & nostri Electoris mater suavissima inhabitat.

Enume



Enumeratis hætenus ædificiis addimus & Curiam, cuius De Curia.  
ædificium per vetustum esse, cum ex ipsa forma, tum ex structura  
satis apparet. Hæc magno impedimento videtur esse in am-  
bitu fori circumquaque habitantibus, quò minus liberum habe-  
ant prospectum. Proinde fama est, Mauritium Electorem cum  
Senatu egisse, ut eam demolirentur, & alio in loco novam cons-  
truerent. Sed cum Senatus intelligeret, longè maiores impens-  
as ad eam rem requiri, quàm ut ærarium Senatus eas ferre pos-  
set, sese apud Principem excusavit. Qua excusatione & ipse  
acquievit, nec deinceps unquam istius rei cura affectus est, bello-  
rum procul dubio curis implicatus, in quibus tandem quoque  
extremum vitæ spiritum edidit. Eadem excusatione Senatus  
& postea Elector Augustus fuit contentus, prudenter ratus,  
commodum & ærarium publicum propter urbis ornamenta nul-  
lo modo exhauriendum esse. Verùm Christianus I. Augusti  
filius post patris obitum rerum potitus, cum superstructionibus  
impensè delectaretur, & ea gratia in hac urbe omnia exornata  
cuperet, Mauritiū postulata repetiuit. Tunc licet Senatus iisdem  
se tueretur rationibus, & hac cum primis, quòd ærarium maxime  
exhaustum esset sumptibus, quos in Turris structuram con-  
tulissent: tamen Electoris voluntas & autoritas prævaluit.  
Quocirca Senatus Anno 1590, re bene deliberata, novæ Cur-  
iæ locum destinavit amplissimum illud in novo foro ædificium,  
quod Pannopolium nuncupatur. Huius sanè magna pars,  
versus Electorale stabulum, fuit destructa, & eo in loco, ubi  
Cella publica & Macelli est initium, fundamenta ipsa iacta no-  
væ sunt Curie, Anno Christi 1591. Sed eo ipso anno, die 25  
Septembris



Septembris, cum moreretur Christianus Elector, tota statim  
structura interrupta est, & hoc pacto Pannopolium suum retie-  
nuit locum, quod sub Duce Georgio Anno 1525 edificari pro-  
cul dubio ceptum, & Anno 1532 absolutum est, sumtus Senas  
tu suppeditante, quod tabulae lapideae insignia Senatus habentes  
liquidò comprobunt.

Accedo nunc ad ipsa templa, quorum in nostra urbe, ex-  
cepto aulico, tria reperiuntur, nec non in magno sunt usu.

De templo  
S. Crucis.

Primarium & Parochiale indigitatur S. Crucis tem-  
plum, quod ab imagine Christi crucifixi, quae quodam tempore in  
Albis fluvio ex Bohemia natando pervenit, & à Monachis sub-  
lata solenni pompa in urbem importata est, nomen atque origi-  
nem suam accepisse fertur. Scribitur autem fundatum esse à  
Constantia, Leopoldi Ducis Austriae filia, & Henrici Mar-  
chionis Misniae, cognomine illustris & munifici, coniuge, Anno  
Christi 1270. Ad hoc templum olim in Papatu, propter indul-  
gentias sanctorumq; reliquias, incredibilis vicinorum & exte-  
riorum hominum fuit concursus. Anno autem Christi 1491,  
die Mercurii post Viti diem, cum dimidia urbis huius versus  
meridiem pars incendio configrasset, hoc ipsum quoque templum  
flammis periit. Unde denuo totum lapidibus pilaribus seu qua-  
dratis, pulcerrima illa forma, amplissima copacitate summâq;  
altitudine constructum, & Anno Christi 1499, die Lunae post  
Elisabethae diem, ab Episcopo Misnensi Ioanne VI. ex familia  
nobiliam à Salhausen, solenniter inauguratum est. Anno Christi  
1573 candidissima calce dealbatum, & fenestris purissimo vi-  
tro confectis, & paucos post annos altari mirabili artificio ex  
lapidibus



lapidibus fabrefacto, ut & baptisterio eleganter formato, exornatum est. Anno verò Christi 1582. & consequenti Amplissimus Senatus magnis eduxit sumptibus in utraque parte scalas illas tortiles & fornicatas, & totam eam contignationem, in qua aramenta ac campanæ extant sonoriferæ, & hinc turrim construxit excelsissimam cum duobus procestris & tribus pinnaculis, unde tota Dresda omnisq; circumquaque iacens tractus videri potest.

Alterum templum B. Virgini Mariæ sacrum atque dicatum est, structura admodum tenui & humili. Id hodie non modò concionibus ac cultui divino diebus Dominicis, verùm etiam nobilium & autoritate ac virtute præstantium hominum sepulturæ destinatum est, id quod monumenta illa quamplurima, seu ut vocant, Epitaphia, omnibus in conspectu posita, absunde contestantur. Cum eodem & cœmeterium coniunctum est, in quo honestorum civium funera tumulantur, quod tamen iam rariùs fieri consuevit propter locorum penuriam.

De templo B.  
Virginis.

Tertium templum hodie Divæ Sophiæ nomine insignitum est. Illud antehac in Papatu Cœnobio Monachorum Franciscanorum additum erat. Eo cœnobio Anno Christi 1406 per incendium devastato, templum mansit reliquum, sepulturæ nobilium, Canonorum, monachorum & aliorum id genus destinatum. Post obitum verò Ducis Georgii, cum hac in urbe rerum potiretur Henricus, Georgii germanus frater, religione Papistica per Lutheranam immutata, Anno Christi 1539, totum Cœnobium sublatum est. Vnde & accidit, ut ipsum templum ad alios usus converteretur. Inprimis tamen Augustus Elector

De templo  
Sophiæ.

D

in eo



in eo fieri curavit granaria rei frumentariae destinata. Et hoc in statu permansit diu usque ad Annum Christi 1600, in quo Proelector Fridericus Guilelmus, Amplissimo Senatui ita petenti, id clementissimè donavit, ut esset locus, in quo nobilium & celebrium hominum funera humarentur. Tunc igitur, destructis granariis, & omnibus rebus denuò instauratis, à Senatu renovari ceptum est. Indigitatur autem templum D. Sophie in memoriam Illustrissimæ Principissæ Dominae Sophie, Electoris Christiani I. piæ memoriæ, relictæ viduæ, quæ de hoc templo ita merita esse videtur, ut eius memoria, dum huius urbis stabit machina, meritò & optimo iure recolatur. Ea enim incredibili pietate, qua flagrat, adducta ordinavit, ut singulis septiduis in hac æde duæ haberentur conciones, una die Dominica, altera die Lunæ. Cuius divini cultus initium factum est Anno Christi 1610, die 4 Februarii. Ea ex singulari beneficentia seu munificentia in hoc templo aram ex marmore Rochliensi pul. errima fert arte curavit. Ea & huic beneficio aliud adiunxit non minis laudabile, quòd Senatui Prudentissimo sumtus 3000 florenorum, in renovationem templi impensos, per legatum Anno Christi 1610 factum, ita compensavit, ut de eius interesse, ut vocant, quotannis ipso die Sophie, accessio quædam Salarii ministris Ecclesiæ & Scholæ ad S. Crucem præberetur. O beneficia prædicatione digna! Deus optimus Electorissimam illam Sophiam, quàm diutissimè salvam & incolumem conservet, ac ipsi tam pia beneficia dignis modis remuneretur!

De Albi fluvio

De præcipuis nostræ urbis ædificiis huc usque dixi:

nunc



nunc pauca de fluminibus subiicienda sunt. Duo autem existunt flumina, quæ urbi Dresdæ plurimum afferunt utilitatis. Versus Septentrionem urbem quàm proximè alluit Albis, cuius & vetustissimi scriptores, Plinius, Strabo, Cornelius Tacitus & alii plures mentionem faciunt. Nomen in Germanica lingua ab undecim scaturiginibus habet, quemadmodum & lib. 4. Chronicorum testatur Philippus, ita scribens: Nomen Albi dedisse undecim fontes, de quorum confluxu & corrivatione profuit, doctis placeat. Quò & alludit poëta Osius hoc versiculo: Nomen ab undecimis fontibus Albis habet. Nascitur autem in Bohemia eo in monte, qui Bohemiam & Silesiam à se mutuò distinguit, ac Germanis der Riesenberg / Bohemis Cerconessos appellatur, non procul à vico V Vissokoi. Ac subinde à rivulis & lateribus utroque affluentibus, quos in alveum recipit, auctior redditur, ut in iustum accrescat fluvium. Coloris est puri, & leni fluit, sed tamen alicubi, ob saxorum interiectum, vorticoso atque fragroso cursu. Urbes & oppida præterlabitur non pauca, de quibus hic non est dicendi locus. Ac producit nobisq; suppeditat plurima delicatissimorum piscium genera, præcipuè sturiones, Esoces seu Salmones, lumbricos, auratas, Thymallos, Cyprinos, Lucios, percas, anguillas, barbos, gobios, fundulos, alburnos, edellas, caneros aliosq; de quibus fusiùs legere possunt, qui volunt, Fabricium lib. 3. annalium Misnensium, & Chronicon Misnense Albinum. Præter pisces Albis fluvius nostræ urbi & alia præstat commoda. Nam ex superiore illius parte ex Bohemia recto & secundo navigationis cursu ad nos deferuntur omnis generis frumenta, belularia, vina, ligna, saxa & alia victualia nobis sanè maximè necessaria



cessaria nec non utilia. Ab inferiori parte, Hamburgo, Magdeburgo vicinisq; locis afferuntur omnis generis pisces salsi & aere siccati, lati plerique, cartilaginei & spinosi, arengæ, passeres, rhombi & idgenus alii, item frumenta & merces aliæ, quibus cum ad victum, tum ad amictum indigemus.

De Albula.

Alterum flumen à meridie occasum versus nostram præterlabitur urbem, & nuncupari potest Albula ab albedine, qua referre solet fluxum illum celeberrimum Italiæ, quam docti usitato nomine Tybrim vocant. Oritur illud flumen ad radices montium Bohemicorum, non procul ab oppido Dippolswalda, & inde Dresdam, Anno Christi 1521, per varios anfractus, deductum est. Aliàs limpidissimi est coloris, & citissimo cursu defluit, ac saluberrima constat aqua, quæ psoræ seu scabiei & pruriginè curandæ est accommodatissima, id quod confitentur ii, qui istis corporis vitiiis laborant, & semel atque iterum huius fluminis aqua lavantur. Insuper magnam copiam piscium suggerit, scilicet lumbricos, auratas, thymallos, turdos, saxatiles, edellas & plures alios delicis esculentorum convenientes. Magnum quoque urbi præstat commodum propter aquæductiones, quæ admodum frequentes sunt, ut pleræq; civium ædes istius fluminis aqua abundant. Sed longè maior est illa utilitas, quam urbi confert propter molas varias in ripa constructas. Nam aliæ farinam aliæ chartam, aliæ pulverem tormentarium conficiunt: aliæ ligna secant, aliæ arma poliunt: aliæ fullonibus, aliæ fabris ærariis inserviunt, quemadmodum id satis ferè cuique cognitum est. Sed pergo nunc ad mores civium.

De civibus & incolis.

Cives quidem nostræ urbis haud unius existunt generis. Nam



Nam nonnulli in aula sua obeunt munia, & vel ex nobili stirpe  
sunt oriundi, vel aliàs claro genere nati, vel omni liberali doctri-  
na politissimi, vel magna rerum usa instructissimi. Nonnulli  
verò extra aulam vitam in urbe degunt, & vel eruditione cele-  
bres, vel contractibus & mercimoniis dediti, vel opificia artésq;  
manuarias exercentes. Ferè autem in omnibus morum apparet  
honestas & integritas, viget urbanitas & humanitas, mutua  
servatur officiorum communicatio, coliturq; affabilitas & stu-  
dium concordie. Quamobrem satis hæc civitas bene morata &  
cultata est, adeò quidem, ut ferè nulla reperiat, cui cedere videat-  
ur. Quod sanè ingens & eximium est nostræ urbis decus &  
ornamentum, & procul dubio ex Musarum, quæ huc usque Dei  
immortalis beneficio in hisce regionibus domicilium habuerunt,  
cultura profectum. Nam à teneris statim unguiculis iam civi-  
um liberi ad literarum bonarum studium & tractationem ad-  
hibentur, ex quibus hoc commodi præter cætera consequuntur,  
ut animorum feritate extirpata, ad pietatem veram veramq;  
modestiam & humanitatem assuescant & traducantur. Locum  
igitur hic obtinet illud ab Ovidio prolatum:

Adde, quòd ingenuas didicisse fideliter artes.  
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Quod dictum etsi verum est de iis, qui in artium huma-  
norum studiis egregiè versati sunt: tamen & de iis verè usur-  
pari posse, qui primoribus saltem labris ea studia degustarunt,  
ipsa communis convincit experientia. Antehac cum in urbi-  
bus dominaretur literarum inscitia, & illa omnia loca, tanquam  
sentes & tribuli, implevisset, in hominibus nulli erant mores,



aut saltem rustici & agrestes. Jam verò literis florentibus, mores omnium hominum sunt cultiores. Quapropter ut & imposteriorum cives huius urbis moribus excellant honestis, literas bonas amare, & à teneris annis colere decet.

De forma politica.

Forma politica gubernationis in hac urbe ita se habet. Cives summum suum magistratum agnoscunt Illustrissimum & Potentissimum Principem Saxonie, sacri Romani imperii Electorem, qui hac in urbe per longos sanè annos aulæ sedem sibi cum suis subdelegatis fixit & constituit. Ad illius igitur, tanquam summi capitis, nutum imperiumque se meritò & optimo iure omnes componunt incolæ. Juxta hunc & Senatui amplissimo fide & obœdientia obstricti sunt, qui annuatim constituitur civibus, qui ætate, prudentia, consiliis rerumque usu ceteros antecire existimantur, & Consules atque Senatores nominantur. Hi civitatem & Rempublicam pro ea, qua sunt, sapientia administrant, controversias æquissimis legibus iuxta iusticiæ normam dirimunt, bonos & innocentes defendunt, malos verò & fontes meritis pœnis afficiunt. Quæ sanè res ad Reipublicæ conservationem maximè prodest, quod Solon Atheniensium legislator significare voluit, dum dixit, illam civitatem quàm optimè habitari, in qua probos honoribus, improbos autem pœnis affici mos fuerit. Contrà autem nulla civitas diu florere potest, in qua sublato bonorum malorumque discrimine, nec virtuti præmia, nec improbitati pœnæ respondent. Unde & vera est Achillis vox apud Homerum negantis, se in illa Reipublica vivere posse, in qua boni & mali, prudentes & imprudentes pari honore afficiuntur. Proinde laudatissima est forma  
Reipublicæ,



Reipublicæ, qua nostra gubernatur civitas, & omnibus modis  
digna, ut summa cura conferretur, & ad posteros, si qui futuri  
sunt, propagetur.

Haecenus de multis nostræ civitatis ornamentis, quæ  
non contemnenda, sed magni æstimanda videntur, breviter dis-  
serui. Jam autem ad illud pervenio, quo nec divinius nec præ-  
stabilis habet, quod nimirum in ea Ecclesia doctrinæ & religio-  
nis puritate floret. Nam quid sunt opes immensæ & ingens  
omnium rerum abundantia in urbe, sine verbo Dei salvifico?  
Nonne sunt inania δέλματα & illecebræ, quibus homines in-  
escati saginantur tanquam porci, & tandem probè saginati Dia-  
bolorum fiunt ferculum præsentissimum? O igitur verè felicem!  
ô beatam! ô nimis opulentam civitatem, in qua Ecclesia puro  
Dei verbo viget, ac ab omnibus corruptelis est immunis! An-  
te hæc quidem tempora, cum totus fermè terrarum orbis tene-  
bris Papatus, plus quàm Cimmeriis, oppressus esset, nostra quo-  
que civitas iisdem premebatur. Sed tamen cum annis abhinc  
plus centum Deus ille ter Optimus, pro infinita sua bonitate, in  
Ducatu Saxonico Ecclesiam suam, luce Evangelii accensa, in  
pristinam libertatem vindicaret, ac eius splendorem per Augu-  
stanam Confessionem in universum orbem Christianum diffun-  
deret, tandem & hanc nostram urbem eadem luce doctrinæ  
Evangelicæ collustrare cœpit. Et hanc ad rem usus est præci-  
pue Illustrissimo Principe & Duce Saxonie HENRICO.  
Is enim, fratre Georgio Duce Saxonie, Anno Christi 1539,  
Aprilis die 24, subitanea morte extincto, non solum hæres &  
successor esse voluit, sed & statim religione Pontificia abrogas-  
ta, ut

De Ecclesia  
& religione.

De religionis  
repurgatione.



De religionis  
statu.

Sub Augusto  
Electore.

ta, ut in aliis suæ ditionis urbibus, ita & in hac nostra, Ecclesiam iuxta Augustanæ Confessionis normam reformavit, ac sancivit, ut vera doctrina Evangelii, ex limpidissimis Israelis fontibus, per divinum D. Lutherum repurgata proponeretur. Hunc postea secuti sunt filii laudatissimi, Principes Saxonie & Electores, Mauritius & Augustus, qui ut Ecclesie statum nitidiorem & magis florentem efficerent, nullis pepercerunt sumptibus, nullòsq; subterfugerunt labores. Inprimis tamen Elector Augustus, beatissimæ memoriæ, hac in re maximam adhibuit curam & industriam.

Nam cum post D. Lutheri obitum nonnulli malè feriatii homines Sacramentarium venenum disseminarent, idq; clandestinè & per insidias, ac per viros magnæ autoritatis, & hic in templo aulico, Anno Christi 1574, quidam ex concionatoribus delirii Sacramentarii semina publicè de cathedra spargeret, celebratissimus Princeps, re patefacta nec non cognita, statim veræ & Lutheranæ doctrinæ patrocinium suscepit fidelissimum, adversariis ab officio remotis & in carcerem coniectis. Nec tamen hoc beneficio contentus fuit, sed & postea, variis digladiationibus & rixis, de nonnullis religionis Christianæ capitibus, inter Theologos Augustanæ Confessionis exortis, aureum illud Concordiæ opus, impensis maximis, infinito labore & divino planè consilio conscribi & publicari curavit, quod sanè firmissimum postea nostræ extitit religionis propugnaculum, divinum ad tollenda dissidia remedium, & arctissimum ad copulandas sententiarum varietate distractas Ecclesias vinculum. O igitur felicem Principem & Electorem Augustum! cui illam  
iuvandæ



iuvandæ Ecclesiæ voluntatem largitus est Deus, ut tam fidelio-  
ter ac constanter doctrinam Lutheranam defenderet, & in-  
estimabile illud in Ecclesiis nostris sanctæ Concordiæ constituere-  
ret trophæum.

Huius optimi parentis Augusti vestigia secutus est de-  
inceps filius Christianus Elector, cui hoc unicè fuit curæ, ut pu-  
rum & salutiferum Dei verbum hic Dresdæ & in omni Du-  
catu Saxonico proponeretur, explosis atque reiectis dogmatis  
bus, quæ vel erronea vel impia deprehenderentur. Ideoq; & pu-  
blico mandato ordinavit, ut norma doctrinæ cælestis haberentur  
Prophetarum & Apostolorum scripta, & iuncta cum his Ec-  
clesiæ symbola, Augustana Confessio & uterque Lutheri Cate-  
chismus, & omnes inutiles contentiones & digladiationes in Ec-  
clesiis ommitterentur. Licet autem tunc nonnulli vehementer in  
eo elaborarent, ut liber Concordiæ apud eum in odium vocare-  
tur, & ex Ecclesiis proscriberetur: nihil tamen profecerunt,  
sed potius ipse Elector locum dedit piis quorundam monitis,  
qui affirmabant, illud scriptum non esse privatam, sed publi-  
cum. Nec tamen negari potest, hoc Principe rerum potien-  
te, in rebus quibusdam Ecclesiæ statum concernentibus tale  
quippiam incidisse, quod eò spectare videbatur, ut nova quæ-  
dam in provinciam totam Saxoniam invehere-  
tur religio, quæ fœda erroris labe Ecclesias & Scholas pollueret. Qua  
sanè ex re non solum hic Dresdæ, verum etiam alibi inge-  
tes exortæ sunt confusiones, & passim sparsi sunt rumores,  
Electorem Christianum à maiorum religione defecisse. Sed  
quàm iniquè istis obtrectationibus optimus ille Princeps sit pro-  
tritus,

Sub Christia-  
no I. Electore

E

tritus,



tritus, eventus abunde comprobavit. Erant enim eo tempore  
in aula magnæ autoritatis homines, qui omnia per insidias age-  
bant, aliud lingua præ se ferentes, aliudq; animo reconditum ha-  
bentes, quib; aut alium in sensum detorquebant, aut largius,  
quàm par erat, accipiebant, quæ à Principe dicta vel permissa  
fuerant, atq; ita illius nimia bonitate nequiter abutebantur. Hi  
ipsi homines suis criminationibus & technis effecerunt, ut non  
nulli Ecclesiæ doctores, puritatis & constantiæ laude conspicui,  
officiis removerentur, & eorum in locum homines versuti & à  
Calvinistica religione non alieni surrogarentur, & in hac urbe  
in primis, in aula Henricus Salmuth, sed in templo Crucis D.  
Urbanus Pierius. Sic igitur iste acerrimus humani generis  
hostis Diabolus per satellites suos Electoris Christiani animum,  
ad veræ pietatis curam & studium Illustrissimorum parentum  
industria bene institutum & informatum oppugnavit, sed non  
expugnavit. Deus enim pro clementia sua potenter molitioni-  
bus istorum malorum architectorum restitit, ac suam Principi  
largitus est gratiam, ut non modò fucum & fraudem istorum  
hominum animadverteret, sed & Calvinii hæresin toto detesta-  
retur animo. Quapropter & non rarò, maximè tamen in isto  
periculoso morbo, quo & finem vitæ fecit, his verbis quasi tes-  
tibus est usus, præsentibus multis de nobilitate viris, se in agni-  
ta verbi divini veritate & religione, qua imbutus esset in pueris-  
tia, permanfurum esse usque ad extremum vitæ halitum, & ad  
tribunal Christi appariturum. Nec ea de re dubium est. Con-  
testantur id enim illi gemitus, illa suspiria, illæ voces, illæ pre-  
ces, quibus Princeps ille pius in ultimo mortis agone Christo re-  
demtori



demtori moriens fugientem è corporis ergastulo tradidit spiritum,

Quemadmodum autem Ecclesiæ status, sub Christiano I. per male feriatos & Theologos & Politicos, aliquo modo perturbatus est: ita idem ad optatam tranquillitatem rediit sub illustrissimo Principe, Friderico Guilelmo, Duce Saxonie, qui administrationem Electoratus, mortuo Christiano I. suscipere tenebatur. Is veluti natura religionis, & quæ in illa præcipuè attendenda est, sinceritatis & puritatis erat studiosissimus: ita nihil prius, nihil antiquius habebat, suscepta administratione, quam ut in Ecclesiis doctrinæ puritatem instauraret, ac instauratam conservaret. Hinc itaque & hic Dresdæ in aula, abrogatis concionatoribus Calvinisticis, in eorum locum constituit alios verè Lutheranos, imprimis verò Theologum celeberrimum, D. Martinum Mirum, cui Illustrissimos suos Pupillos summa cura commendavit, ut non solum in publicis concionibus incorrupto Dei pascerentur verbo, sed & in Catechesi D. Lutheri informarentur. Cui defuncto postea successit D. Polycarpus Lyserus, Theologorum eo tempore verè Coryphæus, qui & ipse hac in re summam navavit operam, & partim concionando, partim privatim erudiendo Illustrissimos Pupillos in vera religione ex puro Dei verbo, ex Augustana Confessione non variata, ex libro Christianæ Concordiæ, & ex utroque D. Lutheri Catechismo sedulo informavit.

Et hanc ipsam religionem, in qua educatus est, postmodò Illustrissimus Princeps Christianus II. laudatissimæ memoriæ, postquam divina gratia ad Electoratus culmen & fastigium

E 2

pervenit,

Sub Proelectore Friderico Guilelmo.

Sub Christiano II. Electore.



per venit, in omnibus suis provinciis sartam tectamq; conser-  
re & propagare studuit.

Sub Ioanne  
Georgio Ele-  
store.

Hanc ipsam & Serenissimus Princeps Dn. Joannes  
Georgius fratris pie defuncti in Electoratu successor, iam omni-  
bus viribus & summa ope tueri, & ad posteritatem, si qua fu-  
tura est, disseminare annititur, eamq; ut quam diutissime possit,  
ipsi à Deo immortalis annos Nestoreos & vires corporis egre-  
gias unanimi corde vo uemus.

De præcipuis  
doctoribus  
Ecclesiæ.

Eximium igitur Dei est beneficium, quòd huc usque pios  
largitus est Principes, qui religionis puritatem conseruârunt,  
& adhuc conseruant, idq; beneficio fidelissimorum doctorum &  
ministerorum, quorum opera usi sunt, & etiamnum utuntur. In  
aulico templo inde à repurgatæ religionis initio Evangelium  
purè docuerunt quàm plurimi, inter quos præcipue excelluerunt  
D. Martinus Mirus & D. Polycarpus Lyserus, & hodie  
Reuerendissimus & Nobilissimus Vir, Dn. D. Matihias  
Hoë. In templo verò S. Crucis puram doctrinam sonuerunt, &  
Ecclesiam laudabiliter rexerunt M. Joannes Cellarius, Das-  
niel Greferus, M. Theophilus Glaserus, & D. Paulus Lau-  
rentius, fidelissimi Pastores ac Superintendentes: sed hodie de-  
cendo & regendo Ecclesiam strenuè suo officio fungitur Admo-  
dum Reuerendus & clarissimus Vir, Dn. D. Aegidius Strau-  
chius, Pastor & Superintendens dignissimus.

De schola  
publica.

Nec contemnendum est Dei beneficium, quòd huc usque  
in hac urbe nostram scholam, ceu pietatis & literarum officinam,  
clementer conseruauit, è qua omni tempore prodierunt ado-  
lescentes, qui in Academiis studia sua continuârunt, & omnibus  
scientiis



scientiis exculti non solum patriæ, verum etiam aliis nationibus  
maximo usui & emolumento esse potuerunt.

Dicendum nunc esset de rebus gestis huius urbis. Sed quia  
hæc laus potissimum spectat ad Illustrissimos Principes & Duo  
ces Saxonie, qui huic urbi nunc multis annis præfuerunt, ea hoc  
tempore supersedebo, & maximè cum ipsa temporis ratio me ve-  
la contrahere iubeat, ne extra modum excurrat oratio, vobisq;  
auditores spectatissimi, tædium afferat.

Quamobrem laudibus his patriæ nostræ contentissimus,  
quòd honestam originem, fertile solum, salubrem aerem, omnia  
ad victum necessaria, cives bene moratos, multa præclara ædi-  
ficia, honestum Reipublicæ statum, pios Duces & puram in  
Ecclesiis atque scholis religionem habeat. Quod superest, tibi  
æterne, sapiens & omnipotens Deus, Pater Domini ac Sal-  
vatoris nostri JESU Christi, ex intimis pectoris visceribus  
gratias ago quàm maximas, quòd hanc nostram urbem huc usq;  
clementer custodiisti, ab omnibus incommodis & periculis im-  
munem conservasti, & permultis beneficiis largiter & munificè  
accumulasti, imprimis autem ipsi pios & religiosos Duces ac  
Principes, cumq; his puram sacri verbi doctrinam & legitimum  
Sacramentorum usum, almam pacem & tranquillitatem largi-  
tus es. Te simul ardentibus votis invoco, ut & in posterum hanc  
nostram urbem clementer protegas & regas, Illustrissimum  
Principem & Ducem Saxonie, sacri Romani Electorem, Do-  
minum nostrum clementissimum, cum Illustrissima coniuge &  
Matre & tota familia domus Saxonie diu superstitem conserva-  
ves, ut non modò hanc urbem, sed & totam provinciam & di-

De rebus  
gestis.



tionem ita divina ope & auxilio administret, ut rabie & insidiis  
hostium Ecclesie repressis, & publicis privatisq; calamitatibus  
mitigatis, in pace & tranquillitate honestaq; disciplina, ex lim-  
pidissimis Israelis fontibus, purum Dei verbum audire, & ex  
iisdem fidem nostram informare ac confirmare, adeoq; Deum  
ipsum unum & trinum rectè agnoscere, & piè invocare, cele-  
brare & colere possimus. Et hæc omnia facias, ô Deus, per  
& propter filium tuum dilectissimum **I E S U M**  
**C H R I S T U M**, Dominum & Redem-  
torem nostrum unicum,

**A M E N**,

**D I X I**.







MICHAELIS HASLOBII  
CARMEN DE VRBE  
lectissima Dresda.



VID DRES DA tibi nuper urbe visum,  
Florentissima Musa, dic roganti?  
Sic rerum melior status tuarum,  
Afflictissimus antea, feratur.  
Hæc paucis ego: sic Thalia, vidi  
Formosissima multa, dixit, illic,  
Auro picta, venusta tecta vidi,  
Quæ constructa loco salubriori  
Felix pingit amœnitas, & aer  
Assuetus recreare pectus ambit.  
Sub tectis erat elegantiarum  
Gens præstans studiis & ore dulci,  
Quo blandas charites federe credas.  
Quid dicam tibi providum Senatum,  
Qui Musas amat, & profecta summi  
Coeli vertice iussa? Non tacebo,  
Virbis qui Dominum veretur, Albim.  
Quid pisces loquar optimi saporis?  
Quid vinum recreans tacentis auram  
Mœrorémq;? quid efferam volucres  
Dignis laudibus & feras? quid addam  
Proventus



Proventus reditusq; largiores?  
Hic est aucta suis domus triumphis,  
Quò vertas oculos tuos, & illic  
Nunquam foedera negligenda vivunt,  
Illa pulcrius ecquid æstimemus?  
Dixi multa, venusta multa dixi,  
Quæ vix sint aliis videnda terris.  
At quicquid numeraveris venustum  
Mirandumq; sub urbe, quicquid amplum  
Aut illustre, Ducis facit voluntas  
Saxonis bonitasq; singularis.  
Urbs virtutibus æmulatur illum.



**F I N I S.**











2  
Jan 2015

ULB Halle 3  
004 828 02X



VD 77

MIC









DE  
 VRBE  
 TISSIM  
 ILLVST  
 ELECTO  
 CE  
 Co  
 M. T  
 Typis G  
 S

